

futurum capitulum celebretur anno domini millesimoquadringentesimo-tricesimonono in dominica qua cantatur in ecclesia dei Iubilate qua erit tertia dominica post pascha in Bergha prope et extra muros civitatis Magdeborch ordinis sancti Benedicti Magdeburgensis diocesis et in eo presidebunt abbates monasteriorum in Bergha prefate, in Hersevelde Bremensis diocesis. Missam celebrabit in eodem dominus abbas sancti Georii prope Nuenborch et sermonem faciet per se vel per alium, thesaurarii erunt prior et cellerarius sepedicti monasterii in Bergha. Item ordinamus quod per illud triduum advenientes ad capitulum futurum simul in dicto monasterio reficientur, et ministrari debebunt duntaxat duo fercula de piscibus et unum de ovis vel de frixis et duo bona pulmentaria adiuncta caseo et aliquibus fructibus. Item de visitoribus provincie Magdeburgensis dominus abbas sancti Georgii prope Nuenborch visitabit diocesin Magdeburgensem et diocesin Merseburgensem, dominus abbas Kempnitzensis visitabit diocesin Nuenborgensem et diocesin Mysinensem, sed abbatem Kempnitzensem visitabit dominus abbas sancti Petri prope Merseborch. In provincia vero Bremensi dominus abbas sancti Pauli prope et extra muros Bremenses visitabit per totam provinciam Bremensem excepto monasterio beate Marie extra muros Stadenses. Eius abbas visitabit dominum abbatem sancti Pauli extra muros Bremenses. Abbas in Hersevelde visitabit dominum abbatem monasterii beate Marie extra muros Stadenses. Qui quidem visitatores sic ordinati primo et ante omnia se sua monasteria et sibi subiectos visitabunt et reforment et deinde monasteria alia sibi commissa tam monachorum quam monialium relaciones fideles desuper faciant in capitulo super quibus omnibus et singulis conscientias eorum oneramus et volumus quod proposito primo verbo dei et quod abbas ac fratres secundum ipsorum conscientias veritatem dicant super interrogatis visitaciones eorum compleant iuxta formam a nobis eis prefixam. Ac mandamus quod ipsi visitatores singula monasteria per eos visitanda antequam exeant de eisdem quantum in eis fuerit effectualiter reforment secundum regulam sancti Benedicti canonicas sancciones et statuta ordinis nostri ac ubi non receperint disciplinas et cerimonias antiquas valentes pro capitulis cotidianis celebrandis ibidem contractare debeant et practice instituere cerimonias et disciplinas a nobis traditas eisdem precipue ut in choro sint et fratres taliter disciplinati quod nullus exeat chorum sine licencia superioris, et cum dicitur gloria patris sive laus honor seu deo patri sive gloria tibi domine omnes assurgant. Cum nominatur gloriosum nomine illud Iesus sive Maria et cum dicatur collectio vel oratio dominica, omnes caput inclinant. Nemo eciam ibidem dum hore in communi publice cantentur legat vel dicat privatum officium etc. . . Acta sunt hec in supradieto monasterio beate Marie virginis extra muros Stadenses Bremensis diocesis nobis inibi una cum abbatibus et ceteris religiosis procuratoribus abbatum absencium capitulariter congregatis anno die mensis loco indictione et pontificatu quibus supra. In quorum omnium et singulorum robetur testimonium